

DISPVATATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE VULNERIBVS

IN GENERE

PER SE ET PER ACCIDENS CONTIN-
GENTIBVS,

QVAM

DEI T. O. T. M. NVTIV AC VOLNTATE
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS.
SIMO ATQVE CONSULTISSIMO,

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO
DE GVDENVS, J.V.D.

IN SIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE

PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

INDVLTV BENEVOLO GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA ET PERANTIQUA VNIVERSITATE HIERANA

SVB PRÆSIDEO

DN. JOANNIS FRIDERICI DEPRE,

PHILOSOPHÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,
EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI CONSIL. AVLICI ET ARCHIATRI,
ANAT. BOTAN. ET CHIRVRG. PROF. PUBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD.,

n. n. CIVIT. ERFORD. SENAT.

PATRONI, PROMOTORIS ATQVE HOSPITIS SVI SVMMPERE
DEVENERANDI,

PRO GRADV DOCTORIS

ATQVE PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS HVIC DIGNI-
TATI COMPETENTIBVS LEGITIME OBTINENDIS,
PVBLICE ENVDITORVM DISQVISITIONI SVBFISET
AVTOR ET RESPONDENS,

ADAMVS THEOPH. HENNEL, Modra-Hungarus,

Regiminis Cæfarco-Palfiani Catafractorum Medicus & Practicus Tyrnaviensis.

AD D. XXIX. APRILIS ANNO M DCC XXVI.

IN AVDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVENT.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

40

32

DE AULINERIBVS
FESTHATIPAS

LER SE ET THER AGEDENS CONTIN
GENITIBVS

RECTORI UNIVERSITATIS AICHO-CANCETTICO
MUS MUNIFICIO VENIENTE KAROLVS BOETIUS AVILES

CHRISTOPHORO IGNATO
DE CADINAS LIBR

INGENS DECIMUS QVADRAGESIMA CIVIS CIVITATIS FORTIS
CIVIS DECIMUS QVADRAGESIMA CIVIS CIVITATIS FORTIS

IN HAMMUTA TRINITY COLLEGE IN HAMMUTA

DE JOANNIS HERDIBRUDI

TRIO CLAVIA DOCTOFIS
TOMVS I. IN HAMMUTA

AT COMPLIMENTO CIVIS CIVITATIS FORTIS

EXCELSIOR EXCELSIOR EXCELSIOR

UNIVERSITATIS HAMMUTAE



PROÆMIVM.

Um Saluberrima Ars Medica non possit non præsupponere humana-
niora & Philosophiam, haud eru-
besco a Supremo Oratorum Prin-
cipe in limine elegantissima mu-
tuari verba sequentia: *munus animi*
est ratione urit, Lib. 3. Tusc. Ratio-
nem addidit ipse *Lib. 4. Tusc.* Bene adhibita ratio cernit,
quid optimum sit, neglecta multis implicatur erroribus.
Quod ultimum si fiat ex proæfesi, judicium Ejusdem
Philosophi locum invenit *Lib. 3. de Nat. Deorum:* Sunt
homines, qui rationem bono consilio a diis immortalibus da-
tam, in fraudem malitiamque convertunt. Et quidni lice-
ret eadem heic applicare, dum Ratio in Foro Medico
sit alterum, idemque præcipuum fulcrum, cui inniti-
tur totum Medicinæ Firmamentum. Ratio est illud
Fundamentum, quo & Medicus in munere suo pera-
gendo uti tenetur, Medicina enim est habitus cum re-
cta ratione effectivus: Sic Medicus bene adhibita ra-
tione quoque cernit, quid optimum sit, eadem vero ne-
glecta

glecta multis implicari potest erroribus. Verbo: *Ratio* est cynosura dicendorum & agendorum æque in Theoria Medica vera ac Praxi genuina. Accedit etiam rationem experientiam ipsam moderari, quæ sensibus in multis fallacibus insistit: *Ratio directrix* est omnium Observationum Physico-Medicarum, quid quod. *ratio* juxta commune proverbium plus interdum valet, quam centum experimenta: Medicus, etiam quo prudentis, ingenui & cordati Medici nomen mereri ac tueri valeat, nullo non tempore sedulam navabit operam, ne unquam rationem, a Deo inditam, in fraudem, malitiamque converti patiatur: Luditur enim hic de corio humano, quare etiam consultum est, ut omnia bene peragendo videat, ne temere quid, nec timide faciat, ut cito, ruto & jucunde curet, ut recte renunciet, & hæc omnia ex directione rectæ rationis. Et hæc etiam meta erit, ficut ilia etenim in Praxi mea Medica strenue observavi, ita imposterum tam in ulteriori Praxi, quam in munere meo Medici Castrensis noviter adepto, hæc etiam erit norma in præsentis instituti ratione: Dum enim ratio ipsa novi hujus muneric suadet, ut Gradum Doctoris Medici mihi comparem, selegi Almam & Per antiquam Universitatem Electoralem Erfurtensem, cumque res eo devenerit, ut superatis examinibus Medicis Disputationem Inauguralem pro Gradu Doctorali obtinendo habeam, selegi theses thematis in castris saepius & magis obvii, nimirum de vulneribus lethabilibus in genere, per se & per accidens contingentibus. Quod in sensu verbali æque ac reali, quantum fieri potest, decenti ratione atque ordine considerare jam mecum

cum constitui. Deus autem ipse annuat coeptis, totique
instituto Promotoriali, ut omnia bene fluant & ex vo-
to eveniant felicissime!

DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS MEDICÆ
DE

VULNERIBVS LETHALIBVS IN GENERE PER SE
ET PER ACCIDENTS CONTINGENTIBVS.

CAPVT I.

§. I.

Systema itaque de vulneribus lethalibus in genere per se & per accidentis contingentibus positurus, ante omnia Nomenclaturam five totius tituli explicacionem dicendis & statuendis præmittere teneor, unius enim nominis acceptio sape multifariam sumitur: Sicut nomen sape in aliis quoque rebus à contrario prorsus sumitur, testimonio ERASMI: *Ut sunt flamina quedam, que cum eadem sint, diversi locis diversa sortiuntur nomina: ita quedam res in alio homine, variis nominibus mutantur: Velut saitus in Principi pe splendor appellatur, in privato superbia:* Ita quoque in ipsa Medicina idem usū venit, siquidem pro vario sape Automorum conceptu, aut circumstantiarum obvenientium ratione aliqua res diversimode sumitur, sicuti pluribus atque innumeris exemplis facilissimo negotio id probari posset, si res ipsa vel Tyroui Medicina non constet. Suppositi hujus veritatem modo in præsenti nostro titulo explorabimus.

§. II.

Nomen primum jam expediendum sunt *boc loco* Vulnera: Vulnus autem in Lexicographis communiter denotat plagam, & proprietatem patescentem aperturam corporis iētu aliquo vel cæsum infictam, unde VIRGIL. Lib. 4. Georgorum cecinit: *& corpora bello objectant, pulchramque petunt per vul-*

vulnera mortem. Alias accipitur pro angore animi, sive tristitia: Sic exhortata reliquit incertam & tristitiam turbatam vulnera mentis VIRG. L. 12. Aeneidos. Ab eodem sumitur quoque aeternum vulnus pro aeterno odio: tum Juno aeternum servans sub pectore vulnus, l. 1. Aeneidos. Nec minus vulnus sumitur pro amore & vulnus orbitatis denotat dolorem ex orbitate.

§. III.

In Foro Medico itidem diversimode vulnus accipitur: Communiter in Chirurgia Medica sumitur pro continuo solutione in partibus molibus a vulnerante quodam instrumento externo, vel fecante, aut pungente, vel rumpente, aut fortiter contundente factam, adeoque laisioni partium durarum, fractura & fissura ossium & cartilaginum, itemque contusioni partium mollium ac durarum opponitur. Hic autem loci & ubi de Vulnerum Lethalitate agitur, sumitur latius, ita ut vulnus nunc solum contusionem, nunc solum fracturam & fissuram, nunc solum rupturam & dislocationem partium, nunc vero laisionem vel separatam, vel partium mollium & durarum simultaneam, verbo continuo solutionem, sive in fieri sive in facto esse partis unius, vel plurium, communis Autorum sententia denoter, aut pressius ubique exprimat a quodam ladente instrumento factam diæresin.

§. IV.

Alterum vocabulum in titulo est ly lethale; Lethale vero in triplici sensu sumi potest, nemirum 1. pro eo, quod malum aut periculosum ut plurimum extitit, citra tamen vitæ periculum. 2. pro eo quod magis periculosum & vita periculum minatur, & tandem 3. pro isto, quod absolute, simpliciter & necessario mortem causari inventum est. Posui autem, ingenere solum de vulneribus lethalibus me esse acturum ad indicandum, me in hac dissertatione non esse totam latitudinem lethalium vulnerum exhausturum, quæ circa eadem vel in Chirurgia Medica, vel in Medicina Forensi cuncta annotata veniunt, sed potius propter temporis

ris angustiam potiora potius quadam ex hac materia mihi
seligenda suscepit, quod obiter annotare volui. Transeo
potius ad id, quid per se & per accidens lethale dicatur.

§. V.

Lethale per se dicitur & idem est ac absolute lethale, quod
per dicta absolute, simpliciter ac necessario mortem infer-
re solet, id est, quod ex natura & essentia vulneris & sine al-
terius causa, vel interna vel externa accessione mortem
inevitabiliter infert. Ita etiam juxta FARINACEVM, *Juris
Consultum & PAVLVM ZACHIAM in Qv. Med. Leg. 5. t. 2. qu. 2.
§. 6.* vulnus per se simpliciter & absolute lethale illud ta-
tum censetur, quod omnem medelam respuit & brevi tem-
poris spatio vitam adimit. In quo negotio determinando
admodum cauti esse debemus, siquidem licet aliquod ex-
emplum sanat interdum ejusmodi vulneris allegari fortean
possit, si tamen experientia doceat, quod patientes tali
vulnere utplurimum moriantur, tunc in talibus casibus ob-
venientibus absoluta lethalitas determinari debet: ab eo
enim, quod utplurimum sit, ad Casus obvenientes con-
cludere consultum est, quo de vide rescriptum Facultatis
Lipsiensis in BOHNIA tractatu de officio Medici duplci P. 2. c. 5.
Quare vel maxime quoque conducibile est, in diagnosi vel
ipsa renunciatione, sicuti exigitur, vel necessaria est, plu-
res Autores evolare & perscrutari intime corundem con-
venientiam vel discrepantiam, unde passim consuli possunt
varii Commentarii desuper Renunciationibus Medicis
Forensibus: Exempli gratia prater citatos PARÆVS de renun-
ciatione, RODERICUS a CASTRO in Med. Polit. FORTVNAT. FID.
de relat. Med. ZITTMANN Med. For. Lips. AMMAN. in Medic. Crit.
& Pr. Vuln. Letbal. WELSCHIUS in Rat. Vuln. Letbal. Judic. VA-
LENTINI in Pandect. Med. Leg. & ejusdem Novellis, & plures ali.

§. VI.

Ex opposito statim patet, quid sit vulnus per accidens
lethale, quod nimis non per se, immediate & neces-
sario sustollit patientes vulneratos, qui ex eo communiter
recon-

reconvalescunt, & si tales moriantur, tunc evadit lethale vulnus, adeoque sit & oritur per accidens, s^æp^e ob malum regimen, sive a variis contingentibus erratis, qua ipse patientis commisit, vel Medicus aut Chirurgus, insufficiente industria & peritia destitutus patravit, vel quoque adstantes suum negotium & curam non debite observantes causarunt. Huc accedunt varia supervenientia symptomata, e. gr. febres vulneraria, sanguinis profusiones in loco deferto ex valis minoribus facta, lipothymia, vertigines &c. Et hinc semper constare deber hos homines non ex essentia vulneris interiisse, neque symptomata obvia intercimentia causari ex natura vulneris, sed potius per accidentia aliunde dependentia.

§. VII.

Antequam vero ad reliqua transeam, paucis hic monere volui, nulla dari vulnera indifferentia, id est, quæ nec per se, nec per accidens lethalia sunt, sed ex ipsorum essentia in se & sua natura ad unum genus praedictorum referri debent, licet s^æp^e circumstantia sufficientes deficiant, ut lethalitas absoluta vel minus determinari possit. Adeoque vulnera ut plurimum lethalia, sunt, quæ mortem frequentius inferunt & rarius sanantur, ubi forsitan unum vel alterum solum exemplum extat, in quo vulneratus reconvalevit, & hæc præcipue per se & sua natura lethalia habenda sunt, juxta BOHNIVM loco citato. Sic quoque JCtus Cellerius CARPOVIUS in Prax. Crimin. P. I. qu. 26. cum aliis pluribus bene sentit, quod vulnus lethale, aut mortiferum sit, quod plus ad mortem, quam ad salutem vergit & ex quo percussi aut vulnerati juxta artis regulas & regimen cordebitum debita tractati ac deligati difficillime evadunt, inde est, quod veterum responsa ab AMMANNO in Medic. Critic. vulnera similia retulerint ad vulnera actu lethalia, quæ a vulneribus absolute lethalibus non differunt, juxta laudati AMMANNI effatum in praxi Vuln. Lethal. Prolegom. art. 14. quodcumque per se lethale est, illud est actu lethale, & vice versa. Inde quoque FACULTAS LIPSIENSIS in responso de die

24. Martii 1682. in genere vulnera, quæ a veteribus ut plurimum lethalia dicebantur, inter vulnera actu & per se lethalia suo merito & recte quidem annumeravit, quo de vide sis ZITTMANNVM in *Med. Forens.* C. 3. Caf. 43. Siquidem medium inter vulnera absolute, id est actu & per se lethale, & per accidens lethale exulat, sive quod idem est, vulnera natura intermedia non dantur.

§. VIII.

Idem judicium quoque puto esse ferendum de vulneribus quibusdam, quæ quidem ex natura vulneris per se lethalia sunt, ob singularem vero texturam, vel singulare naturæ robur, vel singulare divinum auxilium, per r̄d̄ Hippocraticum patientes curantur, & a morte pro nunc liberantur, quoniam quod DEVS & natura facit, ars æque imitari haud valet. In vulneribus vero lethalibus semper huc respiciendum est, an arte vulnus medicabile sit. Alias enim de reliquis omnibus vulneribus lethalibus valeat, quod OVIDIUS *Eleg. 4. L. 1. de Ponto* de corde eleganter cœcinit:

*Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.*

§. IX.

Paucis quoque scrutari mihi licebit, an inter vulnera lethalia miraculosa dentur vulnera? Et respondeatur, quod sic: siquidem non tantum in vulnerum lethaliitate, sed etiam in aliis affectibus præternaturalibus, & hominum ope derelictis casibus idem aperte constat. Quo fortean quoad vulnera lethalia spectat admirandus casus a GALENO recensitus de adolescenti Smyrnensi, qui vulnus in altero anteriorum ventriculo majusculo cerebri accepit, solo Dei nutu sanatus, aut exemplum THEODORICI in Chir. L. 2. C. 2. de quodam cellario, in quo ventriculus cerebri posterior ex vulnera destrunctus fuit, nihil tamen minus restituto: huc pertinet judicium AMMANNI in *Med. Crit.* pag. 469. Es giebt die Erfahrung, daß durch erfahrene Chirurgen und darzu gehörige Instrumenta, Diät und dienstliche

B

Medica-

Medicamenta Stücke aus dem Gehirne genommen worden.
 Item quod BERENGARIVS in tractatu de fract. cranii censet,
 posse egredi cerebrum in magna copia, & tamen stare, si-
 ve supermanere vitam: item, qua SYMPHONIUS CAMPE-
 GIVS annotavit, Hyppolitum Dantrapium, Chirurgum in
 arte sua peritum, vulnus curasse, ex quo cerebri particula-
 quanta cochleari excipi poterat, in terram deciderat. I-
 tem, quando HORATIVS AVGENIVS testatur se aliquando
 vidisse totam cerebri substantiam vulneratam, ejusque
 ventriculos dissectos & aliquam portionem cerebri e vul-
 nere effluxisse. Quæ & similia exempla humanam cu-
 randi potentiam transcendentia non nisi pro miraculis
 habenda sunt, adeoque lethalitatem abſolutam infringe-
 re haud possunt, ut potius eadem ipſa pro absolute & per
 se lethalibus censeri debeant, & qui similibus vulneribus
 moriuntur, ex absoluta lethalitate periisse confirmanduni
 est.

§. X.

Non possum etiam non removere mentem MVSITA-
 NI in Tom. 3. Trut. Cbir. Phys. de Vulner. p. 9. qua distinctio-
 nem inter vulnera per se & per accidens lethalia ab om-
 nibus receptam rejicere intendit, eo, quod si talis vulne-
 ratus moriatur symptomatis durioribus, quæ necessario
 vulnus comitantur, ejusmodi vulnus non posset dici per
 accidens lethale, & quod talis æger, si hoc non inflictum
 fuerit, non mortuus fuisset: siquidem per dicta & ex ge-
 nuinis lethalitatis fontibus satis superque conflat, quasita
 symptomata, quæ ex essentia vulneris, & sic necessario
 oboriuntur, vulnus non reddere per accidens, sed per se
 lethale. Sententia eorum tandem per se cadit, qui inter
 per se & absolute lethale, vel simpliciter & de necessi-
 tate tale, distinctionem ponere intendunt, quoniam huic
 sententiae contrariatur ipsarum vocum acceptio rigorosa,
 arque insuper plurimi medici, ipsaque collegia passim pro
 synonymis hos terminos accipiunt: exempli gratia hic
 mihi inserviat Casus Laud. ZITTMANNI in Med. For. C. 1. Cas.

26. p. 126. in quo Facultas Lipsiensis vulnera per se, i. e. natura sua, simpliciter, absolute & necessario lethalia plus simplici vice pro synonymis habuit, ut alia brevitati fluentis silentii populo involvam.

§. XI.

Præmissa idea nominali æque ac reali, proximum nunc erit principia cognoscitiva apponere & ulterius dicendis præmittere. At facilius mihi non foret hoc negotium jam penitus absolvere, quam si profundum pelagus exhaudire intendam. Generalia non tantum, sed & multa alia specia- lia hic sunt præponenda, ex Anatomia, Physiologia, Pathologia, Chirurgia & ipsa Medicina Forensi. Quæ fundamen- tum specialissimum jam mihi præbere videbun- tur, modo eruere conabor. Cujus ratione non possum non recurrere ad duo ista fulcra, experientiam nimirum & rationem, in Medicina universa supponenda. Et primo quidem per experientiam constat, quod lethaliter vulnerati pereant, vel ex laſione generis nervosi, & moriantur tan- quam apoplectici, vel ex laſione cordis & vasorum majo- rum, & moriantur tanquam syncopici, vel ex laſione culinæ universalis & intestinorum aut viscérum reliquorum enor- mi, vel ex adynamia curandi & ita porro. Secundo vero Ratio dirigit non tantum experientiam atque observationes circa lethalitatem instituendas, verum etiam ex genuinis funda- mentis ac principiis Medicis eruit veram causam lethalitatis. Ita in *vulneribus letalibus* a nervosi generis laſione depe- dentibus tollitur causa, sensum & motum immediate produ- cens, subtile nimirum fluidum, in nervis contentum, quate- nus vel propter aperturam dissipatur, vel ob compressionem non amplius influit, aut etiam abinde motus tonicus nervosi principiū tollitur vel irritatur, ut motus convulsivi, aut ipsæ convulsiones & alia symptomata lethalia inevitabiliter in- sequantur. Ita ex laſione cordis & vasorum majorum sanguis plus justo effunditur, ceu proxima causa conser- vationis & nutritionis totius corporis, in quo vera & ge-

nūia causa virium, toni & roboris partium consistit, tanquam in fonte ac vero vita thesauro. Sic ulterius ex lassione culinæ universalis s. ventriculi, aut intestinorum, aut viscerum reliquorum enormi effunditur chymus aut chylus, una cum cruditatibus, ipsisque fecibus ad loca incongrua, sive cavitates incongruas, vel ipse sanguis exit, unde non potest non oriiri corruptio partium adjacientium, putredo, gangrena & ipse sphacelus cum propriis ex necessitate vulneris inflicti dependentibus lymphomatibus. Maximam vero partem ratio lethalitys haud raro ex adynamia curandi determinari potest & debet, quorsum etiam spectant varia alia circumstantiae a loco deserto, vel defectu Chirurgi, & ita porro: In omnibus autem modis lassionis principaliter est respicendum ad motum, in quo vita nostra principaliter consistit, in sanguine & fluidis reliquis conservari alias debitum, hic autem magis vel minus lassum.

§. XII.

Opera pretium esset in antecedenti §. adducta fundamenta ulterius amplificare, generaliter: quoniam vero multa essent adjicienda, qua pro diversitate functionis & usus partis lassae, pro quantitate vel qualitate particulari cuiuscunq; vulneris, modo lassionis & reliquis speciales paulo adducendis sunt conjungenda, hinc unus, idemque labor erit, si me statim ad vulnerum differentiam & varietatem conferam & varia vulnera specialius quoad existentiam, essentiam & rationem lethalitys considerem. Id quod ut eo felicius ac facilius in ordine debito expediatur, & multum varietatis inter se vulnera obtineant, sive possideant pro differentia partium, in quibus inficta sunt, hinc optime percurrere potero generalem istorum conceptum juxta communem divisionem partium Anatomicaam, inde vulnera primo capitisi, tanquam ventris supremi. 2. Thoracis, i. e. ventris medii, 3. abdominis, sive ventris infimi, & 4. artuum sum consideratus in sequentibus.

DIS-

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICÆ

DE

VULNERIBVS LETHALIBVS &c.

CAPVT II.

§. I.

Licet jam specialius attendere mecum constituerim vulnera truncī & artuum considerare, nullam tamen contradictionem exinde cum titulo oriri fateri te-neor, quoniam adhuc generalis manet mea consideratio vulnerum lethaliū, & instituti ratio, & tempus cum circumstantiis reliquis suadent, ut quæ specialissime essent expendenda & extendenda, in casibus nimirum & historiis specialissimis recensenda, alii occasione & ulteriori ruminacioni relinquam. Interim jam non ero operosus in determinando numero Vulnerum Lethaliū, aut in dis-quilitione instituenda, an caput, vel thorax, abdomen vel artus injuriis externis magis & frequentius, vel minus ob-piciantur.

§. II.

Inter capitis vulnera principatum obtinent cerebri vulnera: in cerebro enim & reliquo nervoso genere principium sensus & motus, adeoque etiā t-nus & motus latio, cessatio & finis unice quæritur atque invenitur, tanquam in parte vel maxime principali, nobili & ad vitam necessaria. Consideratis itaque & applicatis omnibus principiis & fundamentis hoc referendis deprehendemus vulnera cerebri esse duplicita, nimirum vel lethalia per se, vel per accidens talia: illa sunt, quæ altius & profundius ad ventriculos usque penetrant, vel nervorum principium & spinalem medullam graviter lacerant, quæ omnem opem humanam & curandi potentiam respununt, hæc vero sunt, quæ non adeo profunde in cerebri medullam penetrant & in corticali cerebri substantia potius subsistunt ac desinunt. Illa enim immediate vel apoplexiā ipsam produ-

B 3

cunt,

cunt, vel principium sensus & motus adeo turbant, ut nullum adjumentum sperandum sit, quoniam principium spinalis medulla est terminus, a quo nervosum genus ortum dicit, & hinc nervi ad omnia sensuum organa, reliquasque machinæ humanae partes transeunt, quare, si ibidem vel sanguis extravasatus, vel coagulatus deprehendatur, mors subsequi debet, siquidem in demortuis ab apoplexia haud raro nonnisi gurgula una vel altera sanguinis extravasati, vel portiuncula lymphæ coagulatae vel putredinosa sufficit, haec vero si mature medela institui possit, pro lethalibus per se haberi non possunt. Sicuti autem vulnera per se lethalia multo extantiora evadunt, si quantitas & qualitas, vel alia circumstantiae graviores eadem gravent, magis talia redduntur, ita quoque per se non lethalia redduntur lethalia ab adjunctis circumstantiis, a loco deserto præcipue sumendis. Cerebrum excipiunt, aut potius in se continent meninges, quarum lassiones itidem non sunt absolute lethales, nisi sinus duræ matris & processus falciformis simul perforetur, ubi non potest non oriri hæmorrhagia lethalis. Et si in pia vel dura matre contraruptura oriatur, quis potest ibidem Emplastrum vel Balsamum applicare? Meninges tegit cranium, cuius fracturae, in se spectatae simpliciter & absolute non sunt lethales, licet fiant punctum, sive casim, sive per contusionem, utut etiam adsit sanguis extravasatus sub cranio, aut inter meninges, quoniam per venæ sectionem, incisionem, ipsamque trepanationem medela fieri potest. Quod si etiam cranium sit depresso & in fragmenta redactum, per vectes & elevatoria, seu forcipibus & aliis instrumentis adjumentum fieri potest, nisi gravitas Læsionis obstet. Vulnera tandem solius cutis in capite, aut musculi illi substrati lassæ per se mortem inferre non possunt. In omnibus autem his determinandis capitatis vulneribus instrumenta lâdentia sunt consideranda, quæ si sint graviora, ut cerebri concusso major eveniat, aut aliquid ab ipsis injicatum & impactum sit, vel mediantibus his festucæ craniæ factæ

factæ & penitus impæctæ sint, aut ipsa quadam contrafusura cranii ad sit, nullus Chirurgus succurrere valet. Et sic facile a gravitate vulneris vel levitate ejusdem reliqua determinari poterunt.

§. III.

Inter thoracis, sive medii ventris vulnera primo loco se trudunt cordis lœsiones, ab ictu, vel globulis injectis factæ vulnerationes, sive in ipsis ventriculos penetrant, sive vasæ, sive substantiam cordis solum lādant, quæ omnes tanquam simpliciter lethales jure meritoque censentur. Quod enim ventriculos attinet, in momento purpurea anima, è pristino corporis domicilio, vel extra corpus & ruit & fluit, si apertura sufficiens fuerit, vel si eadem concidat, major copia sanguinis in pericardium & thoracis cavitatem demittitur, ut utrinque non possit non syncopes gravissima species oriri, & ipsa mors. Quod vasæ cordis attinet, venam nimirum cavam, sanguinem in dextrum cordis ventriculum derivantem, arteriam pulmonalem, illum e dextro cordis ventriculo ad pulmones ducentem, venam pulmonalem, eundem e pulmonibus ad sinistrum cordis ventriculum vehentem, arteriam magnam, sive aortam, ab hoc centro totius corporis ad istius universam peripheriam purpuream massam laudatam propellentem, & tandem ipsa vasæ propriæ substantia dicata, arterias nimirum duas, & venas duas, urinque coronarias dictas, ibidem si unicum vas perforetur, sanguinis extravasatio lethalis oboritur. In substantia cordis vulneratione posset oriri dubium, quoniam ibidem non tam celeris sanguinis profusio fieri potest, ast si perpendo, cor esse in continuo motu, systole nimirum & diastole, manifeste constabit adynamiam curandi obstare, quo minus vulnera cordis substantia consolidari possint, cumque consolidatio minus sit speranda, proper irritationem continuam motus convulsivi, lipothymia, syncope, aliaque lethalia symptomata necessario sequuntur. Quod porro concernit pericardii vulnera, eadem per se lethalia non sunt: quod equi-

equidem primo intuitu admodum dubium esse videbitur ex eo, quod pericardium sit bursa sive marsupium cordis, in se aquam pericardii ad continuam cordis irrigationem continens. At quia substantia pericardii est glandulosa, facile rursus consolidatur, unde si pars ejusdem aliqua sit ablata, curari tamen potest juxta Cardanum, qui pericardium, parte ipsius licet ablata, curatum nihilominus vidit. Quod ultius spectat ad vulnera pulmonum parenchymatica, ea per se lethalia non sunt, nisi simul per dicta va- sa majora sanguifera lalentur, & major sanguinis copia extravasetur, per artem non educenda: vulnera vero tho- racis scelopetaria, utpote in quibus, aut ab aliis instrumen- tis lalentibus festuca, qua ab arte non eximi possunt, relin- quuntur, adynamiam curandi presupponunt. Abhinc asper- ra arteria si penitus sit difcissa, quis unquam sperabit curationem, quam tamen leviter pertusam curari posse, nullus dubito. Vulnera diaphragmatis, qua circulo nerveo in- flicta sunt, absolute lethalia nunquam non censenda sunt, quoniam convulsiones lethales necessario oboriantur; qua vero in carnea parte sunt facta, minus lethalia inveniuntur, nisi fortean utrinque per vulnus diaphragmatis, stomachi & intestinorum portio septum hoc tranfiliant, atque in thoracis cavitatem penetrant, tunc enim utrinque magis augetur malum, & exin ultimus quoque casus pro lethali habetur. Pleura, mediastini, muscularum pectoralium vul- nera & costarum fractura a quantitate vel qualitate, vel modo curandi determinanda sunt: si enim minores lesiones, & nulla festuca immedicabiles ingerantur, non sunt le- thales, si vero musculi perforati, sive costa plures sint dif- fracta, ejusmodi aperturam inducant, ut aer per inspira- tionem attrahendus non amplius coerceri possit, & hinc data porta ruat, hinc suffocatio lethalis necessario sequitur. Quod attinet ad fractiones vertebrarum dorsi & hinc ul- terius factas lesiones spinalis medullae, necessario debemus distinguere inter superiores vertebrae & inferiores, illarum quippe lesiones per se, harum vero per accidens lethales sunt.

§. IV.

§. IV.

Inter abdominis, seu insimi ventris vulnera, quæ nunc ordine ita terente sequuntur, sunt itidem distribuenda quædam in ea, quæ in partibus contentis, aut quæ in partibus continentibus evadunt. Primum equidem locum tibi omnino vendicant vasa sanguinera majora trunci nimirum arteria aorta & vena cava, eorundemque propagines maiores ad hepar, lienem, ventriculum & renes &c. derivata, quibus discissis inevitabilis hæmorrhagia lethalis individus comes est. Ventriculi vulnera quod concernit, sicuti hoc viscus dividitur in partem superiorem, duo nimirum orificia, superius & inferius, sinistrum & dextrum alias dictum, medium, sive lateralem, & insimam, sive fundum, ita quæ sunt inficta in superiori parte & in inferiori, absolu- te lethalia censentur, cum ibi ob lesionem generis nervi enormem motus convulsivi & singultus lethalis praesto sint, hic vero chylus effluat e stomacho & in cavitatem abdominis transeat & sic curationem penitus impedit, effluxus autem chylus putrefact & necrozin adjacentium partium causetur cum variis aliis inequentibus symptomatis. Quod si vero latera ventriculi tantum sint vulnerata, nulla lethalitas absoluta exinde venit, sed curationem admittit & symptomata per se lethalia eo casu non sunt speranda, nisi major apertura & hiatus obstet. Pulvinar stomachi est viscus lienis in hypochondrio sinistro siti: Cujus vulnera magna & profunda, quæ vasa ejusdem arteriosa ac venosa aut etiam ipsa vasa brevia & gastrica, quæ a liene ad stomachum derivantur, dissecant & dividunt, sunt per se lethalia, quoniam nulla arte vel remedio con- stipari aut consolidari valent, adeoque Hæmorrhagia le- thalis oboritur cum syncope & asphyxia vitam transfossi finiens, sanguine enim ultra proportionem effuso, spiri- tus depauperantur, & motus totius purpureæ substantiæ penitus cessat, cum inde dependentibus reliquis flui- dis in machina corporea humana contentis in motu pe- nitus desinentibus; Abhinc si specialiter ruptura splenis a costis

C

costis

costis fractis & intrusis fiat, lethalitatem quoque absolu-
 tam exinde fluere necessum est, si quidem licet costa for-
 tean per debita instrumenta eleventur, ruptura tamen mi-
 nus in conspectum venit, & hinc sanguis flagrans atque
 subsistens facile putreficit, & pars lata Gangrenosa & Spha-
 celosa redditur, ut taceam, quod licet vasa dicta majora
 non fuerint lata, successive tamen, & brevi temporis mo-
 mento, non levis sanguinis copia in abdomen deponi-
 tur, corruptioni inevitabili exposita & lethalibus sym-
 ptomatibus ansam præbens: A quo transitu sanguinis in-
 feriora abdominis versus eo casu est, quod nulla sigillatio
 in hypochondrio sinistro oriatur, aut etiam neque ma-
 culæ lividae apparent. Vulnera vero lienis superficialia
 non sunt lethalia per se, sed per accidens, quoniam tantam
 sanguinis deperditionem non causantur, de quibus equi-
 dem lassionibus ultimis nullum dubium est, de prioribus
 vero a ruptura lienis facta, vel a vasis dictis majoribus se-
 cutis lis si moveatur ex eo, quod canes exciso proprius lie-
 ne in vivis tamen servati fuerint dicendum est, ab ejusmo-
 di experimento, destinato consilio instituto, in quo vasa in-
 ter remotionem atque extractionem istius visceris debito
 modo & cautione circumspecta ligantur, & Haemorrhagia
 inde successiva compescitur, & lethalitas ipsa hoc mo-
 do præcavetur, ad vulnus in corpore humano inopinato
 inflictum non valere consequentiam: antequam enim vel
 Medicus vel Chirurgus accedat, sufficiens copia sanguinis
 pro lethalitate afferenda ruit & fluit, & quis conari vellet
 citra periculum evidentissimum vita vulneris instituere
 maiorem aperturam & perscrutari vasorum lassorum de-
 ligationem, vel ipsius hujus visceris excisionem? A fini-
 stro hypochondrio feror ad dextrum, ubi situs est hepatis:
 cuius vulnera itidem & lassiones quoad vasa & substanzia
 differunt. Siquidem vulnera ejusdem superficialia,
 quæ superficie tantum & extremitatibus, atque sic citra
 lassionem vasorum majorum inficta sunt, non nisi per ac-
 cidens lethalia evadunt, quæ autem profundius penetrant,
 aut

aut rupturam hepatis ipsam causantur, aut quæ grafforem illius partem, medium nimirum, ubi ramificatio venarum maximopere concurrit, perforant aut dilcindunt, aut quæ trunci arteriæ cœliaçæ ramum dextrum, sanguinem pro nutritione substantia hepatis advehentem, aut venæ porta ramum, itidem sanguinem ad hepar adducentem, aut venæ cavæ distributiones per hepar laddunt, & majores ac principaliores ramos incident, per se lethalia sunt, quoniam & hic quoque non potest non purpurea anima effundi, & syncope lethalis oriri: nulla enim deligatio vaforum laorum, nulla consolidatio eorundem, nec ulla medela ibidem est expectanda: Superficialia vero tantam sanguinis profusionem caufari haud valent, & sic neque lipothymia & syncope, neque convulsionibus & aliis symptomatibus lethalibus metuendis aut supervenientibus, consolidatio harum fibrarum recuperari valet. Nec prætereunda est vesicula fellea, quæ concavæ hepatis parti firmissime adnata est, quæ si perforetur, non nisi vulnus lethale spondere potest, pariter ac si ductus choledochi, cysticus nimirum atque hepaticus, sint discessi, tunc similiter nulla curationis spes affulgere potest, quoniam bilis, tanquam Balsamus viræ naturalis, & ad vitam absolute necessarius, e domicilio suo, a provida natura intime recondito effluit, viscera confinia conspurcat, eorundemque corruptionem producit lethalem, propter acrimoniain, quam modo concepit effusa bilis, corrosivam, neque bilis amplius vehi potest libere ad finem intestini duodenii, & principium jejuni, sicuti alias necessario fieri decet, adeoque ulterior summopere necessaria bilis cum chylo commixtio & condebita ulterior chylificatio, chyli motus, ipsaque sanguificatio, & reliquorum humorum secretiones graviter ladduntur, & procul omni dubio affectus ^{graviorum} subsequuntur. Succedunt in ordine intestina, quæ in abdome mira circumgyratione collocata sunt, totamque tere cavitatem reliquam implendo, sine ulla confusione in varios sinus, anfractusque disposita

C 2

&

& convoluta sunt, & in tenuia tria, duodenum, jejunum & ileum, & in tria crassa, cæcum, colon & rectum dividuntur: quorum priorum, tenuium nimirum laesiones, tam minores quam majores, pro absolute lethalibus nunquam non habentur, quoniam *primo* membrana eorumdem est admodum sensibilis ac nervosa & mobilis, adeoque vulnerata facile gangranam & sphacelum patitur, *secundo* chylus una cum excrementis in abdominis cavum provido amne ruit & fluit, nulla ope vel consilio inde rependens aut removendus, inde rursus putredo in promptu est, vicinarum partium corruptionem, gangranam, sphacelum & necrofis ipsam inducens: *tertio* vero propter ejusmodi laesionem intestinorum tenuium chylus sufficiens pro nutritione haud amplius assertur, adeoque exinde virium suprema prostratio, sanguinis, reliquorum humorum & spirituum animalium aque ac vitalium in motu suo perturbatio, aut si verius & pressius dixerim, penitior cessatio & diversa symptomata lethalia presto pede sequuntur. Quodsi simul in similibus casibus sanguis extravasatus copiosus, aut materia purulenta in abdomine in sectione cadaveris inveniatur, lethalitas absoluta eo magis clara est, quo magis indicium infallibile ibidem est valorum sanguiferorum insignium simul laesorum: posteriorum vero, id est, internorum crassorum laesiones admodum quoque differentes existunt: quoad primum equidem, cæcum nimis dictum, Codices tere silent, & quoniam usus ejusdem naturalis nondum adeo planus & compertus est, an flatibus recipiendis, vel cui actioni alias praesit, hinc etiam determinari non potest, quid noceat vel abscessum vel perforatum, aut ulterius laesum: in reliquorum vero crassorum intestinorum laesioribus vulnera alia sunt superficia & minora, alia profunda magis, & insigniora ac majora deprehenduntur: superficia & minora adeo periculosa non sunt, & hinc per accidens lethalia existunt, quoniam si in colo similia vulnera infligantur, per clysteres, injectiones & similia succurrere, & ob-

substantiam solidiorem, quodammodo carnosam, consolidationem rursus impetrare valimus, & multo magis in intestino recto, tanquam omnium intestinorum crassorum crassissimo, & vel maxime carnoso, remedia externa comode applicare possumus: profunda vero, insigniora & majora eorundem vulnera, transversim cumprimis aut diversis locis inficta, adynamiam curandi comitem habent, ex eo, quoniam vulnus a fecibus contentis conspurcatur, aperitur & a consolidatione arcetur. Quodsi per aperturam vulneris feces ipsa transiliant, partes vicinæ graviter laceruntur atque intimius corrumpuntur, unde nonnisi malum omen pravi eventus sperandum est. Si porro renes consideramus, eorundem vulnera similiter quædam sunt superficia, & in cortice quasi hærentia, & per accidens lethalia, quædam vero profundiora & majora, per se lethalia sunt: sic quando maiores tubuli urinarii dissecti sunt, tunc non modo latex aquosus urinæ ad cavitatem abdominis depluit, stagnat, subsistit, corruptitur & hinc corruptione concepta & acrimonia cumulata partes vicinas enormiter lacerat; sed etiam inflammaciones, dolores ingentes, gangrenam & sphacelum ipsum cauflatur. Sic quando simul, vel solitaria quoque vasa notabiliora sanguifera, arteriæ ac venæ emulgentes, laceruntur, absolute & per se lethalia oriuntur vulnera, quoniam sanguis ipse his in casibus desperditur & effluit in cavitatem nulla arte removendus, nec ulla ope restaurandus. Vesicam urinariam quod attinet, de super lethalitate vulnerum ejusdem allatum a VALENTINI judicium in *Pand. Med. Leg. Proleg.* p. 2. f. 4. mihi satisfacere videtur, sentientis, quod vulnus in substantia membranosa infictum per se, in collo vero parteque carnosa tantum per accidens lethale sit, quæ sententia in *Responso* 19. *ibidem* authoritatis HYPOCRATIS, GALENI, alterumque medicorum confirmatur, & experientia ipsa ostendit, quod vulnera vesicæ collo inficta curata fuerint: ratio utriusque est procul omni dubio, quoniam membranosa pars semel di-

latata magis magisque diæresin partur, dum urachus vesicam in altiori loco detinere intendit, inferior autem pars vesicæ demittitur & sic consolidationem inhibet: contra vero carnosa pars facilius rursus corruit & consolidationem subit. Utrinque tamen grandior lœfio & major apertura adynamiam curandi præsupponit. Uterum quod concernit, similiter consideranda ejusdem vasa & substantia: quod si vasa majora sanguifera discindantur, præferunt in gravidis, per se lethalia sunt: si vero vulnera ejusdem sint minora, superficialia, & quoad substantiam absque lœfione vasorum sanguiniflorum magnorum perpetrata, per accidens lethalia evadunt, quoniam ibi non potest non cauari Hæmorrhagia incompeſcibilis, virium jaetura, liporrhynia & syncope ipsa, hic vero labia vulnorum in substantia factorum facilis rursus concidunt & consolidantur. Cui lethalitati, uteri abſolutæ primo intuitu contrariari videntur exempla a BARTHOLINO in Anat. L. 1. p. 274. adducta, ubi absque illo plurimæ vixisse dicuntur, teste ABENZOARE, ÆGINETA, VIERO, ZACVTO, & in prolapsu putrefactum citra periculum totum fere abſcisum obſervasse RHASEN, CARPV M, MERCVRIALEM, LANGIVM, C. WEJAM, PARÆVM, BAVHINVM. aliosque, FORNELIVM item vidisse pueroram, qua una cum foetu uterini radicitus evulsum absque vita dispendio emiserit & denique alia recensere Saxoniam refert. Ast quoniam rara sunt ejusmodi exempla, non nisi singulare natura robori adscribenda, & merito inter arcana naturæ aut si mavis ipsis miraculis inférenda, norma & cynosura lethalitatis in utero determinandæ esse haud possunt, & exinde ad foeminam interemptam argumentari minus licet, sed potius ex analogia cum reliquis machinae humanae partibus lethalitas uteri à me anteā determinata firmo statib. talo. Mesenterii & pancreatis vulnera substantiae ratione per se lethalia non sunt, vasorum vero majorum sanguiferorum vel chyliferorum, aut plexus mesenterii nervosi lœfiones lethales per se sunt, quoniam in sanguiferis insignis Hæmorrhagia,

gia, in chyliferis insignis chyli profusio, in plexu nervoso convulsiones necem inferunt. Quorum medium praecipuum locum obtinet in receptaculi lumbaris & ductus thoracici, vulneribus, cum primis si transversim dissecatio dictorum vasorum facta fuerit, siquidem chylus & lympha plus justo effluit, ad alias partes & cavitates ruit, sanguinis generatio & circulatio maximopere interturbatur & nutritio corporis totaliter cessare debet, cui si exemplum *ANGELOTTI* in *BHARTOL.* *Epf. Med. c. 3. ep. 37.* allatum de quodam Equitum Magistro, e cuius vulnera circa medianam dorsi vertebram sclopeto adaepta liquor chylosus in tanta copia absque vita periculo effluxisse dicitur, ut hinc teamina quintuplicia, una cum indusio & lumbis inundaverit, objiciatur, objicio sententiam *ETTMULLERI*, qui non sine causa suspicatur, non ipsum ductus thoracici truncum, sed quandam faltem ejus ramum lassum fuisse, vasa enim majora discessa lethalitatem potius inferunt. Omnia pessima sunt vulnera in abdome, si per dicta vasa sanguinifera majora, trunca venæ cavæ & arteria aorta appearantur, hæc enim nulli non pro se, simpliciter, absolute & necessario lethalibus habentur & brevissimo temporis intervallo jugulant atque enecant. Omenti vulnera, sibi relicta, si alias insigne aliquod vas sanguiferum lassum non sit, morteni inducere non possunt, & nulla inde sequitur lethalitas absoluta, sed potius accidentalis tantum, si talia vulnera negliguntur, vel portio ejusdem corrupta extra abdomen propendens debite ac tempestive non removetur per abscessionem & condebitam deligationem. Idem valet de peritonæo, quod multipliciter ladi potest sine absoluta lethalitate. Nec minus vulnera externarum abdominis partium sibi relicta, illæsis nempe visceribus & vasibus haec tenus deductis non lethalia sunt, ita ut a Chirurgis & Medicis ne inter periculoſa quidem recenseantur, quoniam neque sanguinis profusio est metuenda, siquidem facile per artem Hæmorrhagia fistitur, neque nervi enormiter larduntur, ut sensus & motus cesserent, neque

ady-

adynamia curandi obstat, sed talia vulnera in integumentis & muscularis abdominis facilissimo negotio curantur a perito Chirурgo, dene es ein Morgen. Brod ist / der gleichen Fleisch-Wunden zu heilen.

§. V.

Consideratis nunc trunci lаsionibus & vulneribus ad artuum vulnera tandem transitum paro, ubi primum locum occupant brachiorum vulnera, qua ob maiores majorum arteriarum & venarum lаsiones determinari debent: Sic ea vulnera per se sunt lethalia, qua infiluntur venis atque arteriis axillaribus sub claviculis exoriundis & statim quidem in exordio suo, ubi propter profunditatem loci, neque debita ligatura fieri, neque remedia styptica adhiberi possunt, siquidem inibi per tales lаsiones languvis confertim exit, Hamorrhagia vero propter continuum arterie motum fisti haud potest, atque inde sufficiens ad compescendum sanguinem deligatio tam cito adhiberi haud valet. Quibus juxta Laud. Celeberrimum VALENTINI accenserі merentur ea brachiorum vulnera, qua ita fiunt atque peculiariter infiluntur, ut vasa in profundo locata majora feriantur, & intra brachium, & substantiam quidem ejusdem carnosam discindantur, quod facile fieri potest, si vulnus a gladio utrinque fortiter acuminato per longitudinem brachii sit adactum, ubi itidem tam adstrictio, quam deligatio, & medela debita institui haud valet. Quod si vero musculi solum, aut quoque vasa minora, vel externa in brachio & cubito vulnerantur, & aditus liberior ad vulnus conceditur, ut Chirurgus debitiss suis remediis, utpote ustione, sicubi opus est, stypticis, ligaturis &c. succurrere possit, talia vulnera non per se lethales afferuntur, multo minus fracturæ carpi aut metacarpi, aut digitorum ossium, quia ibi neque sanguinis profusio, mortem inferens, est metuenda, neque spirituum deperi-
tio

tio seu laſio enormis in his vulneribus fieri potest, ut
 sensus & motus inde pereant, & experientia quoque quo-
 ridiana confirmat, tales fracturas assignatas absque vita
 discrimine curari, quin imo ejusmodi partes feliciter ab-
 scindi & abesse posse: Porro nunc sequuntur laſiones &
 vulnera pedum: quorum regiones variæ & partes diver-
 sa simile fere judicium exigunt. Per se quippe vulnera
 orta sunt lethalia, qua rami iliaci arteriis & venis circa
 eorundem principium, aut in summo femore infliguntur,
 ubi nulla arte constipatio & ligatio debita institui potest,
 sed potius Hæmorragia lethalis succedit, & tam celeri-
 ter Chirurgus vix advocari potest, quam pariens animam
 iam tum efflaverit: pariter quoque si rami majores crura-
 les ita profunde laeduntur, ut neque aditus pateat, neque
 remedia syptica ad vulneratam arteriam & venam ma-
 gno hiatu intus laſam non pertingant, lethalitas per se
 oboritur. Manentibus vero his vasis illaſis & exte-
 riорibus potius ac minoribus & in femoris parte infe-
 riore tactis ubi commode deligatio & reliqua applican-
 da applicari possint, per accidens lethalia constituun-
 tur vulnera: multo magis hoc obtinet judicium, si sola
 pars carnosa sit vulnerata. Genuum vulnera graviora lethali-
 a esse, propter concursum tendinum & facilem gangra-
 na & Iphaceli accessionem, si praesertim scloperis infli-
 gantur, allegatus Valentini valide adſtruit, qui etiam non
 sine ſuccelſu ea, qua in contrarium afferri poſſent, exa-
 cte refutavit; Vulnera vero ſura & tibiae per accidens tan-
 tum lethalia ſunt, ſiquidem vasa arteriola & venosa tan-
 tam ſangvinis proſuſionem cauſari haud valent, ut sym-
 ptomata lethalia, lipothymia, syncope &c. metuenda ſint,
 accedit, quod deligatio commoda laſorum ibidem vaſo-
 rum institui poſſit, & reliqua partes laſa & ſura & tibiae
 debitam medelam adeo non reſpuant, ut potius citra pe-
 riculum vita facile curari poſſint, niſi fortean malum re-
 gimen a patiente vel adſtantibus admittatur, vel Chirurgus
 aut Medicus negligens ſit, & ſic febris vulneraria gravior

D

super-

super accedat, & sic tamen vulnus sit per accidens lethale. Ossa tandem femoris tibiae & fibulae, nec non tarsi, metatarsi ac digitorum pedum si lacerantur, frangantur, scindantur, vel findantur, itidem non nisi vulnera lethalia per accidens solum praebent & ossa fracta aut discissa facile callum concipient & consolidantur, nisi fortean acrimonia rosiva & corrosiva cariem, rationem, & rosiorem inflammations, tumores, febres inflammatorias & alias symptomata causentur, quæ tamen solum ex accidenti oriuntur.

§. VI.

Si tandem & truncus & artus cuticulam & cutim & quoad musculos lacerantur, sive quoad unam partem, sive quoad plura membra, simul per contusiones, plagas, fustigations, flagillations, pro absolute lethalibus haberi non possunt ex eo, quoniam sanguis stagnans mature potest difluiri, aut eidem stagnanti exitus concedi potest, adeoque satis superque & exterius & interius corpus præservari & roborari valet, & non puto mortem in similibus casibus per se insequiri posse, nisi a terrore vel ira concepta febres oboriantur, quæ tamen itidem pro lethalibus non habentur, unde etiam licet mors supervenerit, non ultimo supplicio, sed poena potius arbitraria horum persecutores ordinario puniuntur atque afficiuntur, in qua poena determinanda juris Consulti hanc rationem afferunt, quia animus occidendi in illis non præsumitur l. i. §. *Divus Hadrianus ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis.* an autem exceptio sit admittenda, si flagellationes reiteratae & permulta cum validis instrumentis factæ fuerint, præsertim a robustis & quadratis hominibus in subjectis tenerioribus, intimiori trutina opus esse censeo, licet pro absolute lethalibus lassionibus habeantur in exemplo casus 24. §. 7. p. 2. VALENTINI, ibi potius & in tam specialioribus casibus & aliis quoque probe considerandum est & attendendum, an impossibilitas curandi obsteret, vel minus, item an partes externæ ita sint lassæ ut

ut nulla arte vel remediis Chirurgicis succurrere unquam valeamus.

§. VII.

Coronidis loco in genere monendum esse duco, quod non facile debeamus esse contenti in sectionibus cadaverum celebrandis, si vel in ventre supremo, sive capite, aut in ventre medio, sive thorace, taut in ventre infimo, sive in abdomen aut in artibus lassiones equidem vel intus vel extus appareant, qua tam de absoluta lethalitate non testantur, ulteriori scrutinio opus est, & totum corpus per vestigandum, an fortean viscus aliquod in peculiaribus ejusmodi subiectis ex virtute proprio & dispositione præternaturali per se oborta sit lassum, quod inopinatam mortem intulerit. Et etiam cauti esse nunquam non teneamur in indagandis & perscrutandis vulneribus, ne unquam inter sectionem percultrum anatomicum vasa antea illata ladamus, id quod nullo non tempore omnis providus Anatomicus & Chirurgus observabit, caute ubicunque que procedendo, elevata manu & provida ubicunque circumspetione.

DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS MEDICÆ

DE

VULNERIBVS LETHALIBVS &c.

CAP. III.

§. I.

Restat in hoc capite instituere considerationem de inspectione & cognitione vulnerum lethalium, interior enim perlustratio cadaveris violentia morte interempti vel maxime necessaria est, ut iustitia curatius ad ministretur & infantes dimittantur & absolvantur, fontes vero pro modulo gravitatis lassionis puniantur & condemnentur ad poenam promeritam. Hoc negotium autem determinare, nulli alii competit, quam Magistratui uni-

D 2

cui-

eiique loco competenti, sicuti fortean ordinatio & constitutio & mos peculiaris in hoc vel illo loco exigit. Magistratus quippe est, cui ab Omnipotenti DEO demandatum & intimius concreditum est hoc officium, ut supremi Jehova vices in terris gerat, ut hominum malitiam attendat atque animadvertat, reos atque convictos puniat & condemnet, insontes autem absolvat. Inter omnia vero tere facinorum & delictorum genera coram Deo maxime abominandum est homicidium, ita ut ipse ZELOTES præcipiat, Gen. 9. v. 6. Qui effundit sanguinem hominis per hominem, sanguis illius effunditor. it. Exod. 21. vers. 11. qui percutit quemquam, ita ut moriatur, omnino morte plectitor, & Numer. 35. v. 33. pro ea terra fieri non posse expiatio asseratur à sanguine, qui effusus esset in ea, nisi per sanguinem effundentis eum. Recte vero hanc in rem Iesus consummatiss. SAM. STRYK. in programmata quodam Wittebergæ ad Ann. 1691. publicato & Valentini in proleg. p. 2. f. i. l. c. commentantur & sentiunt, æque Reipublicæ interesse, ne rapiatur ad supplicium ille, qui mortem non meruit, quam ne suppicio eximetur cuius factum ipse Deus loc. cit. sanguine pirandum voluit. Id quod etiam sacræ paginae maxime consentaneum esse deprehendo, dum in all. cap. 35. non tantum sex civitates in receptum ponuntur, ut fugiat illuc, quisquis percutserit aliquem *per errorem*, verum quoque vers. 17. & 18. conditiones expresse apponuntur, si lapide manuali, *qua quis mori potest*, percutserit eum, item, si ligneo instrumento manuali, *quo quis mori potest*, percutserit eum &c. Hinc nullum prorsus relictum dubium est, non tantum has conditiones sed alias etiam circumstantias obvenientes atque occurrentes, diversitatem nimirum laisionis, accidentium varietates, eventumque dubium ponderari deberi. Firmum itaque & confirmatum est, Magistrati competere procul omni dubio adornationem inspectionis vulnerum & ut circa hoc negotium, per petratum nempe homicidium, prudentem, circumspectum & cautum se gerat in legitime comparanda sibi maximopere

re necessaria & accuratissima in puncto lethalitatis vulnerum notitia, cognitione, informatione & certitudine, unde etiam laudanda est non superficiaria, sed intimior in quounque casu per vestigatio, qua observent industriam a Carolo V. Imp. Judicibus injunctam, quo casu obveniente quounque, sicuti etiam enecationis suspicio oriatur exactissima lassionis & vulneris inspectio instituatur.

§. II.

Quod vero in civitatibus & civilibus exigit Magistratus Civicus, illud in militibus violenta morte interemptis exequitur. Magistratus militaris, sive Superiores Praefecti militum juxta ordinacionem & constitutionem pecuniam hujus vel illius Duci Supremi, unde etiam admodum accurate ab ipsis omnia instituuntur, ita ut lethalitas ex debito inquiratur, & si inveniatur, determinetur, quæ, qualis & quanta sit, nec tales Commendantes unquam omitunt curam soleritissimam circa hoc negotium applicandam. Facile vero quivis per se intelliget, me non loquic hic de militibus tempore belli ab hoste percussis ac trucidatis, de his enim vulneribus nulla quaestio instituitur, an sint lethalia, vel minus, an per accidens, vel per efficiam demortui sint, aut moriantur isti homines. Jam enim loquimur potius de ejusmodi vulneribus militum, non ab hoste, sed vel a propriis commilitonibus, vel aliis quoque hominibus in castris, urbibus, pagis aut aliis locis casorum atque interemptorum.

§. III.

Sicuti vero cognitio ipsa ipsius lethalitatis proprio marte a Magistratu instituti haud potest, quoniam objectum cognoscendi lethalitatis, vulnera nimirum, Judiciorum sphæram transcendent, & neque Justinianus, neque Ulpianus Anatomiā & Chirurgiam penetrant, inde presso pede sequitur, ut qui Magistratus officio funguntur & Jurisperudentiam profitentur, pro inspectione absolvenda sibi adscendant Medicum unum vel alterum, tanquam Anatomum peritum, & de reliquo ita exercitatum, ut e genuinis

Principiis Medicis genuinum fontem lethalitatis determinare, invenire ac derivare sciat, alias enim maximum datum vel percussori, vel ipsi percusso, inferri potest, si lethalitas prout ex se & sua natura, pro qualitate nimis vulneris sequitur, non afferatur, adeoque proprie est res, sive officium Medici lethalitatem determinandi.

§. IV.

Experientia vero communis testatur, quod Chirurgi etiam simul admittantur, adeoque non solis competit Medicis hoc arduum negotium, sed etiam Chirurgis? ast non aequum determinare possumus, cur Medicis hoc in negotio etiam Chirurgi sint adjuncti: si aliqualis ratio esset assignanda ea esse posset, ut iidem quoque intersint, quoniam Chirurgi vulnerum curationem externam præcipue administrant, adeoque cum plures casus eveniant, ubi homines, lethaliter licet vulnerati, adhuc vivunt & tamdiu interne & externe conservari debent, quantum qualitas vulneris admittit, aut etiam, si vulnus inflictum non esset per se lethale, & hinc a Chirурgo curandum, inde procul omni dubio est, quod Chirurgus unus & alter pro luctu vel constitutione exigente simul mittatur: In simili tamen negotio Medicus est persona principalis, Chirurgus vero persona minus principalis, unde quoque est, quod si diffensus oboriatur inter Medicum & Chirurgum in puncto lethalitatis aferenda, Medico major fides recte habeatur, quoniam lethalitas ex solis principiis Chirurgicis determinari haud potest, sed potius plurima ex fontibus Medicis propriis determinari amant.

§. V.

Requiritur autem in Medicis & Chirurgis in cognoscenda & determinanda Vulnerum lethalitate sufficiens utriusque peritia, sectio cadaveris genuina & exacta inquisitio in partem lasam seu vulneratam, praesuppositis principiis universalibus & particularibus. Nec Medic nec Chirurgi admittantur sine prævio speciali juramento & admonitione Magistratus sui munera observandi ratione.

Sint

Sint etiam Medici deponentes vel Doctores vel Licentiati ad minimum, Juramento quoque generali jam dispositi. Quæ omnia & familia ratione personarum à Magistratu adjungendarum, aliaruinque variarum circumstan- tiarum ulteriore explanationem & dilucidationem me- rerentur. Ast tempore excludore finem ponere te- neor, DEO gratias agens humillimas pro sua maxima gratia

T A N T V M.

Nunc merito meritos permagnos sumis ho-
nores

Artis Apollineæ, qui Tibi tunc poterant
Et compte & prompte concedi, dum studio-
rum

Felicem finem ritè Tibi feceris:
Ast placuit tantum præsens modo tempus amœ-
num;

Sufficiat: DOCTOR dignus abis MEDICVS!

Ita Nobilissimo, Amplissimo atque Experiensissimo Domino Neo-Doctori abiituro feliciter applaudit & quevis prospera precatur Magnifici Dni Praesidis legitime absentis Vice-Praes

HIERONYMVS Ludolfi

Phil. & Med. Doct.

Consil. & Archiater Elect. Mog. Fac. Med.
& Phil. Altef. Ord. n.n. Chymia & Mathem.
Prof. Publ. p. t. dictæ Fac. Med. Dec.

Quo-

Q Uomodo perfectis sacrata laboribus ornet
Pallas, Curriculum dicitat hocce Tuum;
Hinc post sudores perpeffos accipe digna
Præmia, mi Fautor! Gratiulor inde Tibi:

*Hicce Clarissimo atque Doctissimo Domino Do-
ctorando Fautor i suo honorando applaudere
volebat*

Opponens

GEORG. VOLCMAR. HARTMANN,
Philos. & Med. D. & Practicus.

Q Vi Medicam tractas, at non inglorius artem,
Quâ se Tyrnavio Hungara tollit agro:
Teutones, nunc inter, primos virtutis honores
Accipis, HENNELI! quos meruisti diu.
Sic debita confert, Tibi, præmia noster Apollo,
Titulo, sic, novo mæctus abire potes.
Accipe, quod virtute meres. Quæ laurea dignis
Redditur, augustæ nomina laudis habe.

*Ita mentem amicissimam erga Nobilissimum
atque Doctissimum Dominum Do-
ctorandum, festinante licet calamo, expri-
mere, Ipsique cordicitus applaudere voluit*

Opponens

ANDREAS ELIAS Büchner/
Philos. & Med. Doct. Pract. Erfurt.




Erfurt, Diss., 1725-26

ULB Halle
005 367 786

3



vD18





DISPUTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE VULNERIBVS LETHALIBVS
 IN GENERE
 PER SE ET PER ACCIDENS CONTIN-
 GENTIBVS, *1726, 11*

QVAM
 DEI T. O. T. M. NVTV AC VOLUNTATE
 RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
 VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS-
 SIMO ATQUE CONSULTISSIMO,

DOMINO

**CHRISTOPHORO IGNATIO
 DE GVDENVS, J. V. D.**

IN SIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
 CELSISS. PRINC. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE

PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

INDVLTV BENEVOLO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICÆ
 IN ALMA ET PERANTIQA VNIVERSITATE HIERANA

SVB PRÆSIDEO

DN. JOANNIS FRIDERICI DEPRE,

PHILOSOPHIE ET MEDICINÆ DOCTORIS,
 EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI CONSIL. AVLICI ET ARCHIATRI,
 ANAT. BOTAN. ET CHIRVRG. PROF. PVBEL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD.
 n. n. CIVIT. ERFFORD. SENAT.

PATRONI, PROMOTORIS ATQUE HOSPITIS SVI SVMMPERE
 DEVENERANDI,

PRO GRADV DOCTORIS

TQVE PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS HVIC DIGNI-
 TATI COMPETENTIBVS LEGITIME OBTINENDIS,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBSCICET

AVTOR ET RESPONDENS,

DAMVS THEOPH. HENNEL, Modra-Hungarus,

Regiminis Caſareo-Palfiani Catafractorum Medicus & Practicus Tyrnaviensis.

AD D. XXIX. APRILIS ANNO M DCC XXVI.

IN AVDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVENT.

ERFFORDIA, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

